

## DISTINCTIO XI

Brevissima et perspicua divisio huius distinctionis, in qua modus processionis Spiritus Sancti incipit declarari.

HIC DICENDUM EST etc. Postquam magister tractavit de processionis modo, hic prosequitur de huiusmodi processionis principio et dividitur in duas, quia primo magister ostendit quantum ad Spiritus Sancti principium concordiam latinorum. Secundo, ostendit quoad hoc discordiam Graecorum, ibi, Graeci tamen etc. Prima in duas, quia primo magister praemittit suam intensionem, secundo probat eam, ibi, Quod autem de utroque procedat. Et haec posset dividi in plures partes, secundum quod pluribus auctoritatibus Scripturae probat, quae praemisit. Et partes patent. Circa istam undecimam distinctionem quaero hanc quaestionem.

### Quaestio I

An Spiritus Sanctus a solo patre procedat?

Spiritum Sanctum procedere a patre et a filio catholice sustinetur a sanctis viris; at cum pater et filius in hac productione sint plures producentes, non tamen ut plures, sed ut unum principium productivum producunt, unde plures spiratores dici, nullo pacto possunt, cum utrisque eadem conveniat virtus spirativa.

UTRUM SPIRITUS SANCTUS producat a solo patre. Et videtur quod sic, quia pater aut perfecte spirat, aut non. Si primo modo, tunc superflue et frustra spiraret ipse filius. Deus autem et natura nihil faciunt frustra, ut dicitur I. Caeli et mundi. Si secundo modo, tunc aliqua imperfectio esset in patre. IN CONTRARIUM est Augustinus 15. De Trinitate. Hic primo videndum est de eo, quod quaeritur. Secundo dato quod pater et filius producant Spiritum Sanctum, videndum est utrum sint unum principium respectu illius productionis? Tertio dato quod sic, videndum est utrum hoc non obstante ipsi possint dici plures spiratores. Et quarto, utrum potentia spirativa dicat quid, vel ad aliquid.

QUANTUM AD PRIMUM, utrum Spiritus Sanctus producat a solo patre, sic procedam. Primo, ponam unam catholicam conclusionem. Secundo, inducam aliqua motiva Graecorum, quibus moveri poterant ad negandam huiusmodi conclusionem. Et tertio, ad ea respondebo. Primo igitur dico quod Spiritus Sanctus procedit a patre et filio, quia pater generando filium omnia communicat filio, in quibus ad filium non habet oppositionem. Illam patet per Augustinum 15. De Trinitate, ubi ait Pater non integre se perfecteque dixisset, si aliquid minus vel amplius esset in eius verbo quam in ipso. Sed nullam oppositionem habet pater ad filium, nec secundum virtutem spirativam, quae est divina [154] essentia, nec secundum respectum, sub quo talis virtus in actum spirationis prorumpit, qui respectus est spiratio activa, ergo pater generando filium sibi communicat virtutem spirativam, cum respectu proposito ad spirandum, puta cum spiratione activa. SED CONTRA illam rationem arguunt quidam sic. Omne quod habet filius, ut genitus, habet cum opposito respectu ad generantem; sed omne, quod habet filius a patre, habet ut genitus, ergo etiam ipsam virtutem spirativam habebit ipse filius cum opposito respectu ad spirandum. Sicut etiam virtutem generativam cum opposito respectu ad generandum accipit a patre. PRAETEREA, instant quidam alii sic. Si in divinis producat omne illud communicat producto, in quo sibi non opponitur, tunc pater communicaret Spiritui Sancto ipsum generare activum, quia in eo pater Spiritui Sancto non opponitur et sic Spiritus Sanctus filium generaret, et etiam filius communicaret Spiritui Sancto generationem passivam, quia in ea sibi non opponitur. Sed illa non infringunt rationem supradictam. AD PRIMUM ergo dico

quod filius habet omnia cum opposito respectu ad generantem ut generans est, sed oppositus respectus ad generantem, ut generans est, est sola filiationis, quia propositus respectus generantis, ut generans est, est sola paternitas sive generatio activa. Non concludit igitur instantia tua, quod intendis, scilicet quod filius, ut genitus, capiat velle sive potentiam spirativam cum opposito respectu ad spirationem activam, quae est in patre, quia per potentiam spirativam pater non dicitur generans. Etiam instantia tua est contra te, quia tumet ponis quod pater communicat filio potentiam spirandi cum proposito respectu, quia alias filius non spiraret Spiritum Sanctum, quod error Graecorum. Ad secundum dicendum, quod persona produciens in divinis personae productae communicat omnia, in quibus ei non opponitur, quae sunt communicabilia, sed proprietas personalis tam in creaturis quam in divinis est incommunicabilis, quia ex quo personam in esse personali constituit, si communicaretur, tunc esset confusio personarum. Cum igitur generatio activa personam patris constituat et generatio passiva personam filii, spiratio autem communis non constituat, ideo spiratio communis est communicabilis, non autem generare vel generari. PRAEDICTAM etiam conclusionem confirmo sic. Ubiunque aliqua plura sunt sine omni confusione, ibi necessario inter illa est ordo, vel originis, puta, quod hoc est ab hoc, vel ordo prioris et posterioris, puta, quod hoc est post hoc. Sed pater et filius et Spiritus Sanctus sunt plura supposita absque omni confusione sive ordine prioris et posterioris, quo hoc dicitur esse post hoc, ut patuit superius, ergo inter quaslibet duas divinas personas erit ordo originis. Praeterea, pater communicat filio omne illud, quod filio non repugnat; sed spirare non repugnat filio, ergo etc. Maior patet, quia quaecunque res non habet omnia, quae sibi non repugnant, illa non est omnino perfecta, quia nondum habet aliquid, quod tamen possibile est ipsam habere; sed filius in divinis est perfecte a patre productus, ergo habet a patre omne, illud quod sibi non repugnat. Minorem probo, quia omne quod repugnat filio vel repugnat ei ratione essentiae vel ratione relationis, puta ratione filiationis, quia omne, quod est in filio, vel est essentia vel relatio; sed spirare non repugnat filio ratione essentiae, quia tunc etiam repugnaret patri, cum eadem essentia, quae est in filio, sit in patre. Nec ratione filiationis, quia nullam oppositionem habet ad filiationem. Praeterea, illud firmiter tenere debemus, ad cuius oppositum sequitur haeresis manifesta; sed ad oppositum illius propositionis, Spiritus Sanctus procedit a Filio sequitur haeresis manifesta, quia si Spiritus Sanctus a filio non procederet, Spiritus Sanctus a filio non esset persona distincta, ut patebit in quaestione proxima sequenti, ergo secundum fidem sanctam firmiter debemus asserere Spiritum Sanctum a filio procedere. Praeterea, illam veritatem ponit expresse Augustinus 15. De Trinitate et in multis aliis locis. Illa enim veritas, quod Spiritus Sanctus procedit a patre et filio, tempore Augustini ita uniformiter tenebatur, quod tempore Augustini opposita opinio videtur non fuisse; quia Augustinus nusquam videtur fecisse mentionem de opposita opinione. Cum igitur novae fantasiae derivantes ab his, quae universaliter tota Dei ecclesia tenuit sint penitus repudiandae, ergo etc. Praedictae etiam veritati consentiunt ceteri catholici doctores, quos magister allegat littera, scilicet Athanasius, Didimus, Cyrillus, Chrysostomus et plures alii. SED CONTRARIUM istius tenet error Graecorum et potest probari sic. Non minus convenit Spiritus Sanctus cum patre quam filius. Sed Spiritus Sanctus non convenit cum patre in productione filii, ergo nec filius convenit cum patre in productione Spiritus Sancti. 2. Praeterea, unum simplex productum requirit unum simplex produciens, da oppositum, tunc secundum se totum, et totaliter acceptum dependeret a pluribus, quod est impossibile; sed persona Spiritus Sancti est unum simplex productum, ergo etc. 3. Praeterea, si Spiritus Sanctus procederet a patre et filio, tunc unum et idem per eandem relationem referretur ad duos terminos, puta idem Spiritus Sanctus per eandem spirationem passivam referretur ad patrem et filium, consequens est falsum, ergo et antecedens. 4. Praeterea, illo modo debemus loqui de divinarum personarum emanatione, quo modo huiusmodi emanationem exprimit Scriptura Sacra; sed Scriptura Sancta de Spiritu Sancto dicit, quod procedit a patre et nusquam in ea legimus quod procedat a filio, ergo etc. 5. Praeterea, illud non est tenendum, cuius oppositum invenitur in dictis Apostolorum

et sanctorum doctorum, sed Spiritum Sanctum procedere a Filio est huiusmodi, ergo etc. Maior patet, minorem probo, quia sacerdotes Achaiae dicebant se hanc fidem a sancto Andrea apostolo didicisse, scilicet quod Spiritus Sanctus a patre procedit et in filio requiescit. Sed in quo quis requiescit ab eo non procedit. Et Damascenus libro I, Credimus in unum Spiritum Sanctum Deum vivificantem, ex parte procedentem, et in filio quiescentem, etiam ait: Spiritum Sanctum ex patre dicimus et Spiritum patris nominamus. Ille autem liber a summo pontifice est approbatus, ut patet in prologo eiusdem libri, ergo etc. Item, ista minor patet a Dionisio 2. De divinis nominibus ubi ait: Pater est fontana deitas, Filius autem et Spiritus Sanctus pullulatione divinae naturae. Sed una pullulatio non procedit ab alia, sed quaelibet immediate procedit ab arbore, ergo etc. SED ISTIS pestiferis persuasionibus nulla mens catholica debet assentire, quia ex sancto Dei evangelio iste error poterit aperte reprobare, nulla enim persona divina accipit aliquid ab alia, nisi procedat ab ea. Sed filius dicit de Spiritu Sancto, ipse de meo accipiet, igitur etc. Item in Epistolis apostolicis, ipse saepissime dicitur spiritus filii, vel igitur ipse est spiritus filii formaliter vel originaliter, non formaliter, quia tunc Filius et Spiritus Sanctus non essent personaliter distincti, ergo ipse est spiritus filii originaliter et productive. AD PRIMUM igitur dicendum quod Spiritus Sanctus non potest concurrere ad verbi productionem, quia illud, quod procedit per modum amoris, praesupponit illud, quod procedit per modum verbi et cognitionis. Sed talis praesuppositio non impedit quin filius possit concurrere ad productionem Spiritus Sancti, cum verbum non praesupponat amorem, sed econverso. Ad secundum dicendum, quod unum simplex productum requirit unum simplex producens, vel plura; convenientia tamen in uno simplici principio productivo, et sic est in proposito, quia filius cum patre est unum simplex principium Spiritus Sancti, et non plura principia, prout conveniunt in una virtute spirativa, et in una communi notione, sine activa spiratione, quae est una et penitus indivisa in patre et filio, propter quod Spiritus Sanctus a [155] Patre et Filio non procedit pluribus productionibus, sed una tantum, ergo etc. Ad tertium dicendum quod Pater et Filius respectu Spiritus Sancti non habent rationem plurium terminorum, sed unius tantum, sicut enim tota trinitas terminat omnem relationem creaturae sub ratione tamen unius termini, eo quod in omnibus tribus personis sit una virtus creativa, sic etc. Ad quartum dicendum quod filius Dei, qui semet ipsum exinanivit formam ferui accipiens, volens in omnibus profundissimam humilitatem suam ostendere et patris sublimissimam dignitatem, non dixit, ‘qui a me procedit’, sed ‘qui a patre procedit’; dixit tamen implicite aequivalentem istius cum ait: ‘Ipse me clarificabit, quia de meo accipiet’. Nihil enim ab ipso acciperet, si ab ipso non procederet. Ad quintum nego minorem. Ad probationem, cum dicitur de sancto Andrea etc., dico quod per talia verba non excluditur ratio principii respectu Spiritus Sancti ab ipso filio, sed tantummodo exprimitur principalitas auctoritatis, quae est in patre, puta datur intelligi, quod virtutem producendi Spiritum Sanctum filius habet a Patre et non a se, Pater autem huiusmodi virtutem habet a se ipso. Et cum additur quod quiescit in aliquo non procedit ab eo, illa est falsissima in divinis, quia in sancto evangelio filius dicitur quiescere in sinu patris, et tamen per aeternam generationem procedit a patre. In divinis enim licet persona producta procedat a producente ratione originis huiusmodi personas personaliter distinguuntis, quiescit tamen producta in producente ratione unius, et eiusdem penitus indivisae naturae. Ad dictum Damasceni patet per iam dicta. Est tamen ibi sciendum quod, sicut dicunt doctores magni, in Graeca lingua haec praepositio ‘ex’, sonat in quandam principalitatem, sicut in Latino haec praepositio ‘apud’. Convenientius enim Latino sermone dicitur: ‘Miles est apud regem, quam rex est apud militem’. Et ideo habemus hanc in usu nostro, verbum est apud Deum, vel apud Patrem, quamvis eam non convertamus, insinuantes per hoc auctoritatem productivam, quam Pater habet respectu filii et non econverso; eadem ergo ratione Graeco more Damascenus Dixit: Spiritum Sanctum ex Filio non dicimus, per hoc insinuans filium huiusmodi auctoritatem a semetipso non habere, sed a patre. Et quod per verba praedicta non fuerit intentio Damasceni negare Spiritum Sanctum procedere a Filio, patet per verba sequentia in ea libro I, ubi sic ait: Spiritus Sanctus est virtus sanctificativa empostases, id est, in hypostasi existens a Patre et Filio

indistanter procedens. Et ideo idem Damascenus postquam dixit ‘Spiritus Sanctum ex filio non dicimus’, ut daret intelligi per talia verba se nolle negare originem ipsius Spiritus Sancti a Filio, sed tantummodo principalitatem originis importatam per hanc praepositionem ‘ex’ subdit ibidem post verba praedicta. Sicut ex sole est radius et splendor, sic a Patre est Filius et Spiritus Sanctus, per radium tamen nobis splendor traditur. Ad dictum Dionisii patet per iam dicta. QUANTUM AD SECUNDUM principale, utrum Pater et Filius sint unum principium respectu productionis Spiritus Sancti, dicendum quod quam vis possit dici quod Pater et Filius in Spiritus Sancti productione sint plures producentes, eo quod sint singulariter seu suppositaliter distincti et actiones sint singularium, ut patet I. Metaphysicae tamen non debet dici quod Spiritum Sanctum producant ut plures sunt, sed ut unum principium sunt. Quia ly ‘ut’ est nota reduplicationis, reduplicatio autem respectum habet ad causam seu principium productivum, quod cum sit unum in Patre et Filio, puta una divina essentia ut voluntas fecunda sumpta sub respectu proposito ad spirandum, puta sub activa spiratione, ideo Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, et debet dici quod ipsum spirant, ut unum principium sunt ratione unius virtutis spirativae indivisibiliter existentis in utroque, quo ad talem productionem. 2. Praeterea, sicut se habet tota trinitas in actu creationis ad creaturam, sic se habet Pater et Filius in actu spirationis ad Spiritum Sanctum. Sed totam trinitatem dicimus unum Deum et unum principium creaturae eo quod essentia divina cum respectu ad creaturam sit una toti trinitati communis, igitur Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti propter unam virtutem spirativam, quae est ambobus communis. Et illa est intentio beati Augustini qui ait: Sicut Pater et Filius et Spiritus Sanctus relative ad creaturam sunt unum principium, unus creator, unus dominus, sic Pater et Filius relative ad Spiritum Sanctum sunt unum principium. ISTAM CONCLUSIONEM etiam quidam doctor declarat sic: Voluntas enim, ut ait, perfectam fecunditatem habere non potest ad producendum Spiritum Sanctum, nisi in duabus existat personis, quae fecunditas voluntatis consistit in plenitudine perfecti amoris, qui esse non potest, nisi ad minus in duobus, dicente Richardo 3. De Trinitate: Non potest esse amor iocundus, nisi ipse sit mutuus, ut scilicet sit, qui amorem impendat et qui amorem rependat. Et sic praedictus doctor concludit quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti inquantum concordant in uno principio elicitive actus spirandi, scilicet in una voluntate fecunda modo praedicto, quod tamen principium ratione, qua dicit voluntatem concordem in amore impenso et repenso, connotat distinctionem. SED CONTRA istam declarationem arguitur sic. In quocunque signo naturae vel originis in supposito vel suppositis est dare principium productivum perfectum, necesse est ex tali principio produci terminum, nisi impediatur. Sed prius natura, quam pater amet filium vel ametur a filio; pater et filius habent voluntatem fecundam ad spirandum spiritum sanctum, nec in divinis obviat aliquod impedimentum, ergo ante productus est Spiritus Sanctus, quam sit ille amor impensus et repensus, quem tu ponis Spiritus Sancti esse productivum. Maior patet, minor probatur, quia in illo signo, in quo pater et filius habent essentiam divinam praesentem sibi sub ratione summi diligibilis habent principium perfecte fecundum ad producendum amorem infinitum adaequatum tali principio. Sed antequam pater et filius mutuo se diligant, est essentia divina praesens voluntati eorum sub ratione summi amabilis, et ut actu amata amore essentiali. 2. Praeterea, ratio quare in nobis reamatio requiritur ad perfectum amorem est, quia aliquod additur diligenti. Statim enim cum alicui amanti constat, quod reamatur intensius diligit praedilectum. Sed in divinis nihil additur supposito diligenti ex ipsa reamatione, quia tota ratio perfectionis illius dilectionis est essentia divina existens in infinitum diligibilis, ergo ex reamatione non fecundatur voluntas. 3. Praeterea, si de ratione amoris iocundissimi est, quod sit mutuus, cum tali amore pater sit beatus, sequitur quod pater formaliter sit beatus dilectione filii et non dilectione essentiae, et sic dependeret pater a filio, quo ad suam beatitudinem perfectam. 4. Praeterea, reamatio non facit ad dilectionem amantis, nisi cognoscatur; quantuncunque enim aliquis dilectus a me reamet me, nisi cognoscam ipsum reamare me, non perficitur, nec augetur mea dilectio ex sua reamatione;

si ergo reamatio faceret ad productionem Spiritus Sancti, tunc Pater et Filius producerent Spiritum Sanctum, inquantum scientes seu cognoscentes, et ultimata et completiva ratio spirandi erit cognitio et per consequens Spiritus Sanctus non procederet libere et per modum voluntatis, sed magis ex necessitate scientiae. SED ILLA non concludunt. Ad primum igitur dico quod ratio illa praesupponit prius et posterius in divinis ex natura rei, hoc autem proxime superius improbavi distinctione 9. Etiam praesupponit quod pater prius diligat essentiam divinam quam filium et filius prius diligat essentiam divinam quam patrem et hoc similiter nego, quia cum essentia divina non possit cognosci seorsum a suppositis, quia nullum habet esse praeter quod habet in suppositis, ideo non [156] potest prius amari, quam amentur supposita. Non ergo est ibi naturaliter prius amatio quam reamatio, nisi sumatur prius ratione solum, quo modo superius est declaratum prius esse in divinis. Ad secundum dicendum quod reamatio in divinis non addit realiter aliquid super amationem, quia non est ibi realiter prius dare amorem, quam reamorem, sed simul naturaliter sunt ibi amor et reamor, sicut autem amor in divinis praecedat reamorem secundum rationem, sic reamor potest addere super amorem aliquid secundum rationem. Ad tertium dicendum, quod non sequitur quod pater sit formaliter beatus filio, vel quod patris beatitudo dependeat a filio, sed bene sequitur quod pater non possit esse beatus sine filio, quia nullus sine socio est iocunda possessio, sicut ait Boetius, hoc autem non arguit aliquam praerogativam in filio, qua patrem praecedat, nec in patre aliquam dependentiam derogantem suae dignitati, quia sicut pater cognitione beatifica non potest non cognoscere creaturam, ut superius declaravi distinctione 6. non tamen dependet a creatura sic etc. Et quid mirum si pater non potest diligere non diligendo filium et non reamante filio, cum pater non possit esse non existente filio. Ad quartum dicendum quod ex hoc non sequitur quod pater et filius producant Spiritum Sanctum ut scientes, sed ut amantes, quamvis ex hoc bene possit concludi, quod productio Spiritus Sancti praesupponit notitiam et verbi productionem, in omni enim amore praesupponitur cognitio, cum bonum cognitum sit obiectum voluntatis. Etiam ratio non est ad propositum, quia in divinis non est ex reamatione augmentum amoris, sicut ratio praesupponit, sed amor et reamor et notitia utriusque omnia sunt unum in divinis, et simul natura. Quicquid igitur sit de dictis istius doctoris ad praesens non curo, cum non sit contra me, patet tamen quod ille rationes non concludunt.

QUANTUM AD TERTIUM principale, utrum pater et filius respectu productionis Spiritus Sanctus possint dici plures spiratores? Dicit doctor noster<sup>1</sup>, quod sicut una deitas unit tres divinas personas in creando, sic eadem deitas unit patrem et filium in spirando, differenter tamen, nam prout tres divinae personae creant, ita hoc eis competit per unam deitatem, in qua uniuntur, quod et ipsa deitas creat. Sed prout pater et filius spirant Spiritum Sanctum, sic hoc eis competit per unam virtutem spirativam, quae est ipsa deitas, quod tamen ipsa deitas non spirat, et ideo non dicuntur plures creatores propter unitatem unius creatricis essentiae, quae et ipsa creat, sed possunt dici plures spiratores, cum divina essentia non spirat. SED CONTRA ista dicta, quamvis rationabiliter posita, arguit quidam doctor<sup>2</sup> et primo probat quod illa non est propria, essentia divina creat, quia actus sunt suppositorum, ut patet 1. Metaphysicae et 2. Ethicorum. Sed essentia divina secundum se non est suppositum, quia alias haberemus quattuor supposita in divinis, ergo divinae essentiae non competit per se creare vel agere. 2. Praeterea, anima rationalis quamvis sit separabilis a corpore, dum tamen est in corpore non convenit sibi aliqua operatio per se, quia si aliquis dixerit animam per se intelligere, dicit eam texere vel edificare, ut dicitur 1. De anima, ergo multo fortius cum essentia divina non possit separari a divinis suppositis, ergo tanquam agenti non potest sibi attribui aliqua operatio. 3. Tertio ipse praevenit responsionem ad haec dicta, et ait quod non valet si dicitur creare est actus essentialis et ideo potest convenire essentiae, quae est principium essentialis, quia sicut actus notionalis est

<sup>1</sup>Tertium principale. Aegidius

<sup>2</sup>Hen. de Gan. in sum. contra Aegi. in Prooem. cap. 7

a virtute generativa vel spirativa, non quod virtus huiusmodi talem actum eliciat suppositive, sed solum formaliter est ratio eliciendi actum notionalem. Sic etsi creare sit actus essentialis, non tamen debet attribui essentiae divinae tanquam agenti, sed tanquam rationi agendi. SED ILLA non videntur esse vera, quia omnis essentia, quae per se habet esse per se, potest agere, maxime quoad actus essentielles, quorum huiusmodi poterit esse principium ipsi supposito. Si enim natura ignis per se haberet esse, ipsa posset esse principium, quod sive producat respectu omnis operationis, cuius est principium quo, sive principium productivum, sed essentia divina per se habet esse. Non enim divina essentia capit esse, ex eo quod producat in supposito, quia ipsa improducibilis est. Si enim caperet esse ex eo, quod est in suppositis, tunc necessario essentia numeraretur numeratione suppositorum, quod est haereticum dicere, ergo divinae essentiae competit per se agere secundum actus essentielles. 2. Praeterea, de quocunque vere et proprie praedicatur nomen verbale derivatum a verbo significante aliquem actum, illi proprie convenit elicere talem actum. Sed ‘creatrix’ est nomen verbale descendens ab ultimo supino illius verbi ‘creo’, as, aequae grammaticaliter sicut ‘creator’ et proprie praedicatur de divina essentia, quia omnes sancti doctores dicunt deitatem sive essentiam divinam esse ‘creatricem’, ergo actus qui dicitur ‘creare’ proprie sibi convenit. AD PRIMUM ergo cum dicitur quod actus sunt suppositorum, dico quod textus Aristotelis non habet suppositorum, sed singularium, modo licet essentia divina non sit suppositum absolutum, potest tamen sine omni inconvenientia dici hoc singulare absolutum, eo quod per se habet hoc esse puta divinum. Et si in aliqua translatione, quam ego tamen nunquam recordor me vidisse, inveniretur quod actiones sunt suppositorum, dicerem quod Aristoteles pro tanto scriberet, quia loquebatur ibi de rebus, quarum naturae per se non habet esse, sed acquirunt esse in suppositis et ideo per se non poterunt agere. Ad secundum dicendum quod animae humanae dum est in corpore per se non competit agere, quia dum est in corpore per se non habet esse. Sed dato quod per se haberet esse, sicut negare non poteris de essentia divina, tunc dicerem quod haberet per se agere et non minus per se ageret dum esset in corpore, quam dum esset separata a corpore. Ad tertium dicendum quod non est simile de actu essentiali et notionali, quia ex parte actus notionalis esset manifesta contradictionis implicatio, quia omne productum differt necessario a producente, cum impossibile sit idem producere seipsum. Sed essentia divina a nullo producto in divinis potest differre, quia a quocunque realiter differt essentia divina, illud non potest esse Deus, ergo si essentiae divinae competeret actus notionalis, tunc ipsa a producto differret et non differret, et per consequens produceret et non produceret. Istorum autem inconvenientium nullum sequitur, posito quod essentiae divinae competat per se agere secundum actus essentielles. ADDIT ETIAM dictus doctor ad dicta praecedentia, quibus modo responsum est, quod causa quare non possunt dici plures creatores, est, quia vis creativa, puta essentia divina, non multiplicatur, nec connotat aliquam distinctionem suppositorum, quia si esset in uno tantummodo, adhuc illud suppositum crearet. SED ILLUD expresse contradicit aliis suis dictis, quia ipse manifeste ponit quod emanatio creaturarum necessario praesupponat emanationem personarum, quod si verum est, tunc non esset possibilis creatio, si essentia divina tantum haberet esse in uno supposito, quia tunc non esset personarum emanatio. QUIDAM ETIAM alii dicunt, quod hoc nomen spirator vel creator, potest teneri adiective vel substantive. Primo modo stant alia nomina pro suppositis et sic possunt dici duo spiratores et tres creatores. Sed secundo modo debent dici unus creator et unus spirator. SED ISTI falsum assumunt, quia nomen verbale est tantummodo nomen substantivum, licet suum participium possit dici adiectivum, eo quod moveatur de genere in genus; verbale tamen nomen est mere substantivum, quia nec movetur per terminationes, nec per genera, quae tamen motio est de natura [157] nominis adiectivi, ergo etc. ITEM DOCTOR communis in hac materia videtur sibi contradicere, quia in scripto super primum Sententiarum dicit quod actus significantur in verbo, participio et nomine verbali, cum igitur actus sint suppositorum, ut dicitur in Prooemio Metaphysicae ideo ad multitudinem suppositorum sequitur multiplicatio actuum et ideo non possumus dicere quod pater et filius

Spiritum Sanctum spirat, vel est spirans, vel est spirator. Sed debemus dicere quod spirant et quod sunt spirantes, et quod sunt spiratores et ideo concludit, quod pater et filius sunt duo spiratores, sicut sunt duo supposita. Sed in prima parte quaestionis 36 articulo 4 in solutione ultimi argumenti, dicit quod cum spirans sit nomen adiectivum, spirator nomen substantivum, ideo pater et filius sunt duo spirantes propter pluralitatem suppositorum, non autem duo spiratores propter unam spirationem.

QUANTUM AD QUARTUM dico per omnia similiter sicut dictum est distinctione 7. De potentia generandi. AD PRINCIPALE argumentum in oppositum dicendum quod nec pater imperfecte se habet, nec filius superfluit in spirando, quia cum una sit virtus spirativa sub eodem respectu ad spirandum requisito in patre et filio penitus indistincto, ergo nec pater sine filio, nec filius sine patre spirabit Spiritum Sanctum, cum ambo sint unum principium Spiritus Sancti.

Secundae particulae principalis huius distinctionis non obscura subdivisio, in qua quidem controversia, quae versatur inter Graecos et Latinos de processione Spiritus Sancti explicatur.